TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
QUAEDAM DE
OPTIMIS RATIONIBUS
SANITATIS CONSERVANDÆ,
COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUSTEN DICKINSON,

Hibernus:

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Discite Justitiam moniti ——

VIRG.

Pridie Idus Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCX.

VIRO EXIMIO

JOANNI LONGFIELD, M. D.

CORCAGIAE

MEDICINAM FACIENTI,

LITERARUM PERITISSIMO,

URBANITATE ET OMNIBUS VIRTUTIBUS,

PUBLICIS AEQUE AC PRIVATIS,

QUAE HOMINEM ET CIVEM EXORNANT

PERINSIGNI;

OB MAXIMAM EXISTIMATIONEM

ET MERITISSIMAM,

QUAM ARTE MEDICA EXERCENDA

OBTINUIT,

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS

D. D. DQUE

AUCTOR.

REVERENDO GULIELMO THOMPSON M.A.

ARCHIDIACONO CORCAGIAE;

VIRO,

PIETATE ET MORUM SUAVITATE

MAXIME INSIGNI:

PROPTER BENEFICIA INNUMERA,

IN SE SUOSQUE COLLATA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

HOC TENTAMEN

ANIMI GRATI

SEMPERQUE MEMORIS

SIGNUM

SACRUM ESSE VULT

AUSTEN DICKINSON.

CAROLO CARROLL

ARMIGERO

CORCAGIAE DEGENTI,

PROPTER COMMODA EJUS CONSILIIS DEDUCTA

HASCE LITERAS

EXIGUUM OBSERVANTIAE PIGNUS

GRATISSIMO ANIMO

CONSECRAT

ALUMNUS.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

QUÆDAM

DE OPTIMIS RATIONIBUS

SANITATIS CONSERVANDAE

COMPLECTENS.

AUCTORE AUSTEN DICKINSON.

PROŒMIUM.

MIRA Dei benignitas, et maxima sapientia, homini dederunt, tum omnes sensus et facultates naturales, quibus belluae instruuntur, tum illam coelestem rationem et orationem, per quas, caeteris animalibus praecellit; quantum utilitatis, inde percipit, non est propositum meum perpendere, sed tantum monstrare, leges naturae sa-

pientes omnino neglectas esse; etiamsi tam utiles sint ad perpetuam sanitatem acquirendam, ut sine earum observatione, nihil aliud valere possit. Nonne igitur admirabile est, hunc hominem, hunc dominum terrarum, his commodis tam plena manu ei concessis non uti; quaeque nisi morbo impediatur, varia negotia vitae voluptatesque sequendi potestatem facerent.

Hoc potissimum a naturâ docemur, vivere modicè et temperantèr. Quae quantum ad hujus dissertationis finem attineat nunc proferendum, nam quae bona ex ea oriantur omnes confitentur, quanquam pauci eam exerceant, ut morbi quos aut abstinentia severa producit, immodica voracitas, aut incuria idonei regiminis, ut quaecunque valetudinem corrumpere possint, evitentur, leges naturae lenes sapientesque sequi homines oportet.

Multi mores pravi gradatim consuetudine constituuntur, qui posteris corpora deformia, et

malam valetudinem minitantur; unus ex quibus profecto et nocentissimus, (quem ut mihi videtur, senatus prohibere debet), est consuetudo mittendi infantem, qui tantum paucos dies ante vitam acceperat, a sinu matris blandae, nutriendum faemina mercede conducta, cum qua, saltem totum annum manere permittitur; quum horrendum dictu, miser infantulus nuper validus, imbecillis, esuriensque saepissime fit; an crudelitatis accusari, et alia similia convicia recipere, quibus nutrix aspergitur, magis ad illam, an ad matrem negligentem rite pertineat, Ethici est monstrare; tantum propositum meum est edocere, cur, ob Physicas rationes, hic crudelis mos non exerceretur.

I. Quia cognosci non potest, quibus morbis, aut haereditariis, aut fortuitis, nutrix, cui committitur infans, afficiatur.

II. Ob victum malum, quem nutrices, vel egestate ductae, vel suo desiderio, comedere solent.

III. Propter ineptos mores, et sententias, qui apud pauperes, a quibus nutrices seliguntur, valent.

IV. Ob pravam indulgentiam, et severitatem, quibus nutrices, aut moroso animo, aut repentino amoris impetu permoti, infantes mulcent, aut torquent.

V. Et potissimum. Quia mihi videtur lac matris non solum commodius esse nutriendo, sed etiam a natura constitutum esse, ad quaedam vitia corrigenda, quibus interdum corripitur infans.

Multas alias neque parvi momenti rationes * adducere possem; aliquam vero ex jam dictis pro certo habeo oportere satis matrem ab infantibus, ignitae mulieri committendis deterrere, sed

* To count them all requires a hundred tongues,
A throat of brass, and adamantine lungs.

Pope's Homer.

quamvis plerumque plus minusve existunt, est mirandum, nova exempla hujus moris barbari, et infandi quotidie videri; et quamobrem? Quia *consuetudo* ordinavit: Quae ita omnia mutavit et rexit, ut paucis annis natura omnino contemnatur, et *consuetudo* sola hominibus imperet*.

His observationibus praemissis, nunc ad argumentum praecipuum nostrae orationis, scilicet, " optimas rationes sanitatis conservandae" redeundum, de quo, sub capite victus, regiminisque, disserere consilium est.

* Britons, beware of Fashion's 'luring wiles:
On either hand, chief guardian of her pow'r,
And sole dictators of her fickle voice,
Folly and dull Effeminacy reign;
Whose blackest magic and unhallowed spells
The Roman ardour check'd; their strength decay'd,
And all their glory scattered to the winds.

FERGUSON.

DE DOCTRINA VICTUS, ET REGIMINIS.

Doctrina victus, et regiminis pertinet ad hominem, vel infirmum, vel validum.

Corpus affectum morbo et infirmatum, tractari quod ad victum, ac regimen, aliter atque sanum, omnibus innotescit, nam observatione severa legum, infirmo animo opus est, sed valido rigidus et tenuior victus luxuria est nocentior, quoniam incrementum corporis imminuit, et non exercendo ventriculo, cibi concoctionem impedit. Simul mala quae ab intemperantia, facilius sanari possunt, quam quae ab severa abstinentia, oriuntur, haec scilicet cibum fastidire ventriculum facit, et non capacem munera necessaria ejus sustinendi, sed ubi corpus luxu-

ria (si non nimis effusa) debilitatur, temperantia firme salutem reddit.

Doctrina, de quâ dissero, philosophica contemplatione, aut experientia innititur.

Solers medicus peritusque, usu ampliore copiam magnam plurima notandi in hac re habet, et multa utilia a diversis moribus, quos quisque dies patefaciat, colligere potest, et ea seligere, quaecunque utilia esse putat, ad bonam valetudinem conciliandam ; etiam scientia, per indagationem et αναλυσιν accuratas rerum, potestatem ei praebet investigandi bona, et mala, singulorum propria quae observare possit.

Victus et regimen aut universa sunt, naturalia, propria, aut individua.

Universa ad omnes homines spectant. Homini omnibus rebus quas terra gignit, uti permittitur, sed cavendum est, ne ejus donis abutatur,

quoniam minima intemperantia est inimica sanitati, quam temperantia sola producit.

Naturalia victus, et regimen, pendent e temperie coeli, constitutione populi, et morbis quibus expositus est. Quaeque gens proprios mores habet, et medicus hanc rem non negligere debet, aut putare rationem vivendi, alimenta, et regimen, in omni parte orbis terrarum, similia esse.

Propria victus, et regimen, ad illos spectant, morbis nonnullis tentatos, quemque suam curationem desiderantem.

Individua victus, et regimen mutantur pro constitutione cujusque, nam ut constitutiones hominum multum inter se distant, alimenta, quae cuique homini maxime conveniunt, et quae minime nocebunt, cognoscere necesse est.

DE VICTU.

Victus ab his rebus fermè seligitur, quae maximum alimenti praebent; in cibis seligendis negligentia, tantum stultitiae indicat, ut vix animali ratione instructo, concipi possit, et si viae grati saporis, victum salubrem substituere curemus, multi morbi nunc inter nos grassantes omnino expellerentur.

Alimenta quae, ad vitam sustinendam, in ventriculum recipimus, has res continent, quae sanguinem componunt, et ei variis ejus muneribus, ad incrementum corporis et nutritum attinentibus fungendi vim praebent. Sed per has actiones si nimium ullius substantiae introducantur eum corrumpit, neque corpus implet.

Antequam ergo ullam claram hujus rei cognitionem habere possimus, res componentes naturamque sanguinis animalis considerare opus est, et quantum variis cibi generibus afficitur, quia hoc humore vita sustinetur. Sanguinem diversorum generum animalium terrestrium, ac marinorum, dissimilem esse vix dubitari potest; et etiam in eodem animali, quod ad valetudinem, victum, et vasorum positionem, a quibus extrahitur. Hae dissimilitudines a laboribus conjunctis Anatomici, Chymici, inveniri olum possunt. Sed nunc tantùm necesse est nostrum studium dirigire, ad sanguinem hominis, et eorum animalium detegendum in quibus hic humor, ab eodem in humano corpore parùm differt. Recens sanguis semper fluit, salsi, et ferruginei saporis, et in ejus compositione, concretum quódpiam rubicundùm, vel cruorem, et tenuem partem serum nominatum tenet, quaeque substantia solida crebro in aqua lota et chymici arte subjecta, alba et fibrata fit. Sanguis multas res continet, videlicet, aquam, fibram, albumen,

gelatinam, et magnam salium varietatem. Cum aliqua harum rerum componentium, praeter modum augetur, aut ulla ratione diminuitur, sanguis corrumpitur, et multi morbi gignuntur. Haec impura in sanguinem, per aëra, et alimenta, recipiuntur, et multis rationibus, ut sicco aëre, sudore copioso, medicina, et aliis auferentur.

Alia sunt consideranda praeter cibi delectum, nempe insatiabilis voracitas. Nihil est nocentius repentinâ dilatatione, quam hic mos producit; nam ventriculi fibras distendit, quae sequenti relaxatione facilius moventur. Ille ingeniosissimus Rumford* in libro ejus, de victu coquendo, ut mala quae a voracitate procedunt, impediantur, in omni praescriptione jussit, nonnihil duri, nimirum panem duratum, ut priusquam cibi devorentur, satis manducentur. Longum spatium inter tempora dapes sumendi, adeo

* Count Rumford's Experimental Essays.

frequens apud nos, considerari debet; nam ut concoctio cibi, plerumque intra tres aut quatuor horas completur, mane e lecto surgentes, statim jentaculum edere debemus; et non, ut plerique solent, id differre, donec debilitas, et languida cupiditas cibi, sequentur. Necnon haec prandia sera, quibus nunc homines utuntur, rejicerentur; aut saltem horas intervenientes divideremus, et in medio die, prandiolum sumendo morbi seminibus nos ipsos eriperemus. Tenuis caena permittetur, et etiam aliquando necessaria est, si extemplo caenati, membra quieti non committimus; ventriculus enim caena concoctu difficili oneratus spasmum septi transversi, et musculorum pectoris inducet, unde incubus, dyspepsia et alii morbi oriuntur.

Constat a structura partium devorando et concoquendo servientium, homini dieta naturam permisisse cibum e carnibus et frugibus; sed caro maximum victum suppeditat, plus nutrimenti praebet, et corpus vehementius stimulat,

quod musculosa vis et ferocitas, incolarum harum regionum, in quibus, maxime adhibetur victus animalis, indicant. Seligentes victum animalem, hunc esse ejus generis ut maximè nutriat, et simul concoctu facillimus sit, quantum fieri potest, curare debemus. Non bene cognoscimus, qua de re, nutrimentum carnis animalis constat; sed ratio a Hallè data, mihi verisimillima videtur: ille putat nutrimentum pendere constante evolutione carbonii constanteque suppeditatione nitrogenii quo animalia magis quam herbae abundant. Caro animalis est concoctu plus minusve facilis, pro firmitate fabricae. Mala valetudo eorum, qui solum animali victu viseuntur, planè monstrat, ad sanitatem conservandam, cibum variare opus esse. Ergo nos ad herbas recurrere non mirandum est, commoda hujus mutationis, brevi tempore invenimus.

Plantae magnum modum alimenti salutaris, hominibus ministrant, sed herbae solae, noxiae sunt, et illam vigorem non dare possunt, quae

a cibo animali, aut ab utroque victu conjuncto, ducitur. Itaque aequum est, homines herbis solis, sine carne commixta, raro pasci, illo victu corpus debilitante, quantum hic stimulat. Videmus igitur herbas, et carnem permistas, optimum nutrimentum, et saluberrimum humano corpori, praebere. Cibum nostrum mutare, etiam necesse est, ut unum genus alterum corrigat. Praeter hoc, si eodem victu, diutius utemur, sanguis nimium cujusdam substantiae, recipiens, corrumpitur.

Lac benè alit, et saluberrimum hominibus, et omnibus terrestribus brutis, mihi videtur. Componitur ex animalibus materiis, vegetabilibusque, et etiam salibus, qui in lacteis vasis, commisti, et a crassis sanguinis partibus, semoti, ad formandum animale corpus, idonei facti sunt. Lac plerumque loco victus adhibetur, et infantum praecipuum nutrimentum esse a natura certè designatur; nam id primò secerni, extemplo post puerperium, et infantulum ad ubera matris;

instinctu directum esse, invenimus. Mihi Doctoris Willich tentamen, de Diaeteticis legenti, mirabile videtur, se usum butyri, lactis praecipuè partis, tam vehementer, et ut mea sententia fert, tam incassum reprehendisse. Meritum honorem sententiis Doctoris reddens, ab auctore adeò spectato discrepo; e cujus libro, pauca verba citabo, quia prorsus existimat, butyrum ullam partem victus hominum, componere minimè convenire. "I am disposed to think, (inquit Doctor Willich,) it would be beneficial "to society, if the making of butter were "strictly prohibited, as well as the importation "of salt butter into every civilized country, "where the hurtful properties of it are sufficiently understood. Melted fat, or the drippings of baked and roasted meat, is equally, "if not more pernicious to the stomach, than "even stale butter, and both ought to be used "only for greasing cart-wheels, and not for injuring human organs*." Nemo cum doctore,

* Willich on Diet and Regimen.

libertius quam ego, consentit, rancidum butyrum iis propositis, quae memoravit, tantùm idoneum esse. Sed judicat idem purum, alendo aptum, et concoctu facile rejiciendum esse, quia interdum, in malo statu invenitur, et quia "if it "is not sufficiently freed from the butter-milk, "it is the sooner tainted with a rancid bitter "taste." Non possum putare se butyrum salsum dicere "stale butter;" omnia enim, quae in eodem statu edimus, etiam reprehendantur. Si Doctor Willich usum butyri rejiciat, quod aliquando non benè factum est, eodem modo, omnia creata extirpemus. Nonne oporteret omne genus hominum, ob crimina paucorum, exterminari? Quam levis sit haec ratiocinatio manifestum est. Eruditorum judicio, et candidorum, submittam, num experientiâ, aut quotidianâ observatione, ulla mala oriri, a recto usu hujus vulgaris nutrimenti, visa sint.

Quanquam multum modo, et tempore edendi, et selectione cibi, pendet, tamen omnes res

nostrae curae, in hac re inanes essent, nisi ad coctionem attenderemus. Si cupiamus victum, omnes nutrientes partes ejus, maxime continentem, caro lento igne cocta, sine dubio preferenda est. Elixa nutrimentum in aqua mittit, quod in assis melius conservatur, sed adeps assae carnis, in ventriculo fervet, et est minus salutaris, quam elixa. Quoad herbas, satis est dicere, plus solito coquendas esse; causa nativam acrimoniam delendi, et eas concoctu faciliores faciendi.

Innumera sunt inventa hominum, ad indulgendum palato, et in hoc aevo, non mirabile est, si homines praestantissimo acutoque ingenio, non de salutarissimis coquendi modis, ad utilitatem generis humani, sed optima ratione condimentum jucundissimum parandi, et delicias animalium seligendi, disserere audiamus.

DE POTU.

A praecedentibus observationibus invenimus, solidum victum, bene selectum, et coctum, moderatione, et certis intervallis, sumptum, ad sanitatem conservandam, necessarium esse; sed attentio quod ad liquidum victum, non minus utilis est. Potus in duo capita dividatur; nimirum, liquores non fermentatos, et fermentatos; de quibus ordine dicemus.

DE LIQUORIBUS NON FERMENTATIS.

Aqua est praecipuus et quidem solus potus, qui in hoc capite consideretur. Quam salubris

aqua pura est, non satis cognosci potest, nempe homo, ratione et natura repugnantibus, illam liquoribus certe pejoribus postponeret. Illos qui aqua sitim restinguere solent, et qui commoda ejus perceperant, hortari ad perpetuum usum, hujus optimi potûs, inutile esset. Sed timeo ne illi, qui tantum pallato obsequi student, et meraciores potus ingurgitando, sibi indulgere student, verbis mortalis non aurem obvertent. Sed adhuc, nisi morbis maturis impediti, aut morte subita correpti, perniciosissimo cursu manebunt. Hi observent belluas, quas sitim aqua sola sedare invenient, a natura doceri semel sese sinant.

DE LIQUORIBUS FERMENTATIS.

Infinitae sunt injuriae, quas liquorum usus fermentarorum, humano corpori intulit, et in hac re, verè dicatur crimina patris ad filium tendere,

innocuus enim infans crudelissimis, et non medicabilibus morbis, saepius discruciatur. Insaniae nuper tam frequentis, medici rationem reddere perdifficile invenerunt; sed eam ebrietate productam, et in quibusdam, ab haereditaria labe, nunc optimè innotuit. Quae sit causa tum hujus diri morbi, non dubitari potest; cnm experientia omnis aevi monstrávit, usum nimis liberum, fermentatorum liquorum, insaniae certam originem esse; quidem mores ebrii et insani non multum inter se discrepant: Quam gravia sunt verba venusti Thomson, cum homines vino obrutos depinxit.

——————" Their feeble tongues,
Unable to take up the cumb'rous word,
Lie quite dissolved. Before their maudlin eyes
Seen dim and blue, the double tapers dance
Like the sun wading thro' the misty sky.

Mercenariis, labore duro defatigatis, mos est fermentatos liquores bibere, causa vigorem stimulandi, quem affectum, perbreve tempus, dat,



et tum dein vires corporis magis ac magis debilitat. Doctor Franklin * illustris, se ipsum exemplum hujus rei memoravit, quod monstrat, solidum et temperatum victum, generosis liquoribus praestantiorem esse. Cum typographus fuit, socii operum fermentatos potus pecunia quotidie comparare solebant. Ille contra panem emit, cum quo aquam potavit, quibus modis, labores perpeti diutiùs quam alii valuit. Socii ejus communi sensu praediti convicti sunt. Hanc partem meae orationis cum sequenti temperantiae laude, excerpta ab uno omnium periodicorum scriptorum, celeberrimo, concludam. "Would "you be happy, be temperate; temperance is "the parent of health, virtue, wisdom, plenty, "and every thing that can make you happy in "this, or the world to come. It is indeed the "true luxury of life, for without it life cannot "be enjoyed."—*Adventurer.*

* Franklin's Life and Essays.

DE AERE.

Etiamsi variae partes naturae, vitam sustinent, tamen non minus mortis ministri sunt.

> "Balnea, Vina, Venus, consumunt corpora nostra;
> "Et vitam faciunt Balnea, Vina, Venus."

Aura, quam trahimus, aeque ac victus, puritati sanguinis, et impuritati, multùm contribuit. Aër super componitur particulis inter se dissimilibus, praecipuè putribus, ab animalibus, vegetabilibus, et terrenis substantiis, orientibus; quae in sanguinem, pulmonibus receptae, ad tabem ejus, pariter ut vitalis aura ad puritatem confert. Salutares effectus aurae communis, loco et regione mutantur. Urbes hominum frequentiâ refertae multis ex causis nocentissimae sunt; hae sunt

ustio, quae quantitatem vitalis aurae minuit; respiratio, quae novam et noxiam mutationem creat, et putredo, quae äëri μιασμα externum addit. Humidi aëres et frigidi puro statui sanguinis, fermè inimicissimi sunt, nam natura, superfluitates non tantum inutiles constitutioni, sed molestas, a sanguine, et aliis partibus corporis, per sudorem diffundere nititur. Sed cutis meatus ab aëre udo et frigente clausis, exinanitiones necessariae impediuntur, et morbida natura in internas partes repulsa, et aliquatenus sanguine iterum conjuncta, multos malignos morbos inducit. Nocturno aëri exponi infestissimum est; et invenimus plures servos Indiis occidentalibus, ex hac, quam ulla alia causa moriri.

DE EXERCITATIONE.

"Toil and be strong. By toil, the flaccid nerves
"Grow firm and bear a more compacted tone,
"The greener juices are by toil subdued,
"Mellowed, and subtilized; the vapid old
"Expelled, and all the rancour of the blood."

ARMSTRONG.

Cupiditas exercitationis simul cum vita incipit. Cui si obsequeremur, multi morbi vitarentur, sed dum ignavia et negotia multos homines, membra sua satis exercere, non sinunt; quid nisi morbos expectare licet. Cum fibrae relaxantur (nam inertia relaxationem rarò non inducit) nec cibi concoctio, circuitus sanguinis, motus intestinorum, perfici potest. Historiae priscorum veterum monstrant, *gymnasticas* exercitationes praecipuam institutionem juventutis formare, et qui-

bus, in hoc degeneri aevi, comparabimus facta egregia Cyri, Alcibiadis, aut Alfredi magni, hominum, qui doctrina aequè ac aliis eximiis dotibus, illustres fuerunt. Certè tam his temporibus, in quibus impius belli furor saevit, et arma sunt occupationes hominum, juventus ab inertia erepta, exercitationi in qua santitas utilitasque conjunguntur, assuefacta esset.

DE USU BALNEI.

Ab omnibus in omni aevo, affirmatum est, neque sine causa, balneum ad sanitatem conservandam, et morbos tollendos, prodesse. Antiqui munditiam magni momenti consideraverunt; et illis frequens balnei usus, pernecessarius fuit; ut mala removerent, quae egestate vestium lintearum, oriuntur. Balneo frigido multos annos, validi soli usi sunt; et nunquam infirmi, quibus

mortem certam minitari visum est. Sed recens scriptor hanc opinionem refellendo, potentissimum remedium, materiae medicae addidit, et artem sanandi, vinculis timiditatis, et ignorantiae, partim eripuit. Balneum calidum in septentrionali regione, est magnae utilitatis; et si in hac terra adhiberetur apud populum, multae aegrotationes, quibus nunc cruciamur, discederent. In Scandinavia, et aliis terris septentrionalibus, ubi méatus frigidis et humidis acribus, clauduntur, et victus quo vulgus utitur, sunt cibaria siccata, et salsa, et ardentes liquores, incommoda tam ingrati victûs, et cibi adeo noxii, frequente usu balnei calidi, auferuntur. Nec hic mos, ut plerique putant, periculo imminente, frigus colligendi comitatur. Nam Acerbi viator, incolas Scandinaviae, a balneo calido, in aërem frigidum patentem, pergere, narravit. "In the winter
" season, they frequently go out of the bath,
" naked as they are, to roll themselves in the
" snow, when the cold is at 20, or even 30 de-
" grees below zero (Celsius); they will sometimes

"come out, still naked, and converse together, "or with any one near them, in the open air. "If travellers happen to pass by, while the pea-"sants of any hamlet or little village are in the "bath, and their assistance is needed, they will "leave the bath and assist in yoking or unyok-"ing, and in fetching provender for the horses, "or in any thing else, without any sort of co-"vering whatever, while the passenger sits shi-"vering with cold, though wrapped up in a good "sound wolf's skin. The Finnish peasants pass "thus instantaneously, from an atmosphere of "70 degrees of heat, to one of 30 degrees of "cold, a transition of 100 degrees, which is the "same thing as going out of boiling into freez-"ing water, while other people are sensibly af-"fected by a variation of but five degrees, and "in danger of being afflicted with rheumatism, "by the most trifling wind that blows *."

* Acerbi's Travels through Sweden, Finland, and Lapland, to the North Cape.

DE ANIMI AFFECTIONIBUS.

Meum argumentum finiam, vim miram notando, quâ pollent animi motus, nostra corpora atterendi. Hi frequentissime quietem arcent, et dum mentem debilitant, nos negligentes officiorum, quae ut homines, peragere debemus, reddunt, internas functiones turbant, et vitae fundamenta diruunt. Sermonem qui tantum ad mores pertinere videtur, introducere, provinciam Theologi invadere putetur; sed ii, qui majoribus causis non moveri possunt, vehementes animi affectiones vitare forte inducantur, si cognoscerent has ad extinguendam illam vitam, cui tam cupidè adhaerent, tendere, et omnem curam ad sanitatis conservationem adhibitam vanam, et parum efficacem reddere. Collige omnia mala, quae aegestas, morbi, et violentia, affligere pos-

sunt, et eorum cruciatus, multo minores invenientur, quam illi quos nocentes animi affectiones, arcessunt. Cum oppressus communibus aerumnis, animus suas vires intendere, et solamen suggere potest; sed hi fervores vehementes, mentem corripientes, humanam naturam, in suis propugnaculis diruunt, et postremum fulcrum eripuunt, ad penetralia sensum serpant, et omnes facultates mentis, in ministros furiarum, convertunt. Hominem ira insana commotum, observemus. Hoc impetu nihil est potentius. Dum ira augetur et magis magisque fervet, donec tumultum quem creat, nostro judicio comprobaverit, donec cerebrum demens fit, corpus febriculosum, et agitatione lassatum, accipit injuriam majorem dirissima quam gravissima pestis, inferre potest. Sed effectus hujus rabiei saevae, et terrificae, corporis saluti non tam perniciosi sunt, ut lentum sed fatale venenum, quod indulgendo moroso ingenio, corpus subit, et ut ignis edax calida viscera incendit. Omnia etiam levissima, quae tali animo accidunt, con-

tagium augent, et corpus emacrescens, et pallidus color, diras furias, quae pectus corrodit, indicant. Inutile esset dicere, quam maligna sunt vitia odii, ultionis, suspicionis, perturbationes tam foedae, "that to be hated, they need but "to be seen." Sed observare opus est multas cupiditates innocentes aestimatas, et quae itaque bonos animos invadent, si non cohibeantur constitutionem etiam subvertere; nam talis est nostrae naturae infirmitas, omnem affectionem ad ullum mundanum bonum immodicè attentam, valetudinis ruinam minari, et corpus debilitare, impressionibus mentis, ah nimis expositum! Quam anxiè cuperemus, "mentem sanam in corpore "sano," et quantum una de altero pendeat! Impulsus affectionum quodammodo necessarii sunt, ad vigorem animo et vim corpori conciliandum, tamen si non coërceantur, omnia permiscent, et quamvis eos extinguere forte ineptum esset, si fieri possit, ad rationis normam eos dirigere philosophiae est. Omnino verum

est, illi qui cupiditates insanas, aut perversum ingenium, sibi imperare sinit, perfecta sanitate, et felicitate, nunquam fruendum esse.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.